



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxoniae S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titvlvs XXII. De loco & ordine Patrum ac Fratrum in choro.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

TITVLVS XXII.

De loco et ordine Patrum ac Fratrum in Choro.

1. **P**atris Guardiani locus est in medio stalli transverso secundi chori ; dum aliquid est cantandum vel legendum poterit se ad alium locum transferre prout magis commodum fuerit, quod si adsit R. A. P. Minister Provincialis, Pater Guardianus occupabit locum à parte eadem in stalli altari viciniori. Stallum imū Chori primi ordinariè occupat P. Vicarius, nisi aliqui ipso digniores locum habeant in illa parte.

2. Absente P. Guardiano, stallum illius P. Vicarius aut quicumque in choro Præses fuerit, occupabit, si vero P. Guardianus in Conventu fuerit & nesciatur an ad chorum venturus vel non, tunc sub recollectione & precibus in cruce, P. Vicarius aut chori Præses sistit se prope hebdomadarium.

Dum P. Guardianus est Officiator vel Hebdomadarius, P. Vicarij locus erit à parte non chori. Nisi fuerit Cantor scriptus, in illo casu occupabit stallum primi Cantoris.

3. Reliqui PP. Sacerdotes stalla occupabunt superiora, sic ut digniores sint versus altare primi secundum servatam hactenus consuetudinem. Fratres Clerici dum Officium inchoatur stant in inferioribus stallis & ad Versum *Sicut erat in principio*, facta prius altari, deinde Præsidi reverentia ascendunt ad stalla superiora, ad finem Officij iterum descendunt, factaque iterum altari, deinde Præsidi reverentia, in medio cum aliis legunt Antiphonam finalem de B.V. post Completorium ad dictam Antiphonam manent in stallis superioribus, sed descendunt post Antiphonam **VOS SANCTI DEI INCLYTI.**

4. Locus Hebdomadarij seu Officiatoris, per tabellam cum hac Inscriptione **CHORUS & Cantorum** cum hac Inscriptione **CANTOR**, ubivis denotatur ; & quantum possibile sit stallum gradui, per quem

ad medium descenditur vicinum, nisi locus ille à libro nimis foret remotus, Versicularius stat in stallo inferiori, ut librum dirigere possit, cui alius ex junioribus Clericis assistit. Alia sedilia inferiora occupant Fratres Laici, ita ut Seniores sint altari propinquo.

5. In quo autem quisque chori latere stare debeat, determinet Superior aut chori Præses, & quantum fieri potest, curetur, ut in utroque latere sit & personarum, & vocum æqualitas.



CÆ.